


De Herodiano Herodiaique Versione
Leisner - Bergleriana - 1761.


HARVARDIANA
ACADEMIA
IN
NOV·ANG
CHRISTO
ECCLESIAE
ET
VE RI
TAS

DE

HERODIANO HERODIANIQVE VERSIONE BERGLERIANA

PROLVSIO SCHOLASTICA

ORATIVNCVLIS V

IN

SCHOLA THOMANA

A. D. X APRILIS A. C. CIↃ IↃCC LXI


RECITANDIS

PRAEMISSA

A

IO. FRIDERICO LEISNERO

RECTORE



LIPSIAE

EX OFFICINA BREITKOPFIA



I



ui de rerum ſcriptoribus iudicare conantur, nunc eorum dicendi artem, nunc rerum, quae traduntur, varietatem et magnitudinem, nunc denique fidem ſcriptorum ipſam ſibi apud animum proponunt. Herodianum etiam ab illis magni fieri facile animaduertas, qui his omnibus ſimul praeſtantiam hiſtorici metiendam ducunt. Nam nec eloquentiae caret laudibus, et, quae fuerit romani imperii per ſexaginta annorum ſpatium fortuna, ſub multis peſſimis, paucis bonis, principibus exponit: teſtimoniis autem eius fidem auctoritatemque illi ipſi adiungunt, quos in credulitatis ne ſuſpicionem quidem vocare audeas. Quidni ei fidem adiungant, qui tradit viſa ſibi et audita, nonnulla item experiendo cognita, vtpote in publicis officiis principalibuſque verſato: cui quaedam verum tradendi neceſſitas fuit impoſita, vtpote eo tempore ſuam hiſtoriam vulganti, quum ea, quae literis tradiderat, lectorum ſenſibus adhuc memoriaeque inhaererent: qui denique libertatis retinendae ita eſt amans, vt in laudando reprehendendoque nihil neque gratiae neque odio dandum putet. Sileo reliqua, quae ei fidi hiſtorici laudem facile adſtruant, mores ho-

hominis, genus orationis aequabiliter fere profluens, moderationem in recte ac ſecus factis vel laudandis vel vituperandis; diligentiam denique certa ab incertis diſtinguendi, cujus diligentiae expreſſa veſtigia paſſim apud eum extant. Quum ſe in publicis principalibuſque miniſteriis verſatum dicit, magnopere vellem, indicaſſet, quali munere, vtrum aulico an militari, et ſub quibus imperatoribus, fuerit functus; nam ſub omnibus ſuae aetatis functum, rebus tam frequenter tantoque opere commutatis, vix putem; vt, momentis in omnem partem penſitatis, iudicium coniiciendo ferri poſſit, plusne ſit ei fidei habendum, quum res domi, quam quum res foris, geſtas, quum res Commodi, aut Seueri, quam quum aliorum, narrat. Interim, ſi quis tendat, ei minus fidendum in his eſſe, quae de Commodo tradit, quam quae de reliquis imperatoribus, eam ipſam ob cauſſam, quod ſe publicis muneribus admiſſum dicit, quum poſt diſceſſum Commodi minimum XLVI annis vixerit, credibile autem non ſit, eum valde iuuenem admitti illis coepiſſe; ei haud grauatim aſſenſerim.

Diximus, eum ſexaginta annorum res geſtas perſequutum: in quo Herodianum et pro nobis eſſe, et contra nos, obſerues; pro nobis, quia ipſe in praefatione diſertis verbis de ſexaginta annis teſtatur, hiſtoriaque eius reapſe tot ſpatium annorum complectitur: contra nos, quia II, 15 §. 13 ſibi ait eſſe propoſitum, ſeptuaginta annorum res, ſub diuerſis principibus geſtas, in unum corpus redactas, literarum mandare monumentis. Quid ergo eſt? An pugnare ſecum ſibique ipſi contrarium Herodianum dicemus? Diceremus forte, niſi intelligeremus, poſſe vtique fieri, vt propoſitum alicui ſit, ſeptuaginta annorum hiſtoriam contexere, poſtea autem eueniat aliquid, quod mutare cogat propoſitum, imponatque ſcriptori neceſſitatem abrumpendi orationem etiam ante, quam peruenire, quo tendebat, poſſet. Forte nec eorum coniectura aberrat a vero, qui dixerint, alteri Herodiani loco eſſe medicam ma-

num admouendam, et pro ἑβδομήκοντα substituendum ἑξήκοντα. Quando enim haec vocabula non literis, sed arithmeticorum signis, exprimuntur, facile posse alterum cum altero, qua demendo aliquid, qua addendo, permutari. Quas autem res temporis tam longi prodiderit, sub finem libri secundi indicat: quo loco tacitum se praeteriturum negat, si quid modo mentione dignum memoriaque videatur. Quum dico, eum res mentione dignas prodidisse, nolim veterum historicorum diligentiam ad huius aetatis scriptorum quorundam normam exigi, quorum diligentia saepius sane nimia est, quippe quibus religio est, omittere principum, quorum res narrant, coniuges liberosque peraeque omnes, etsi dici de illis nihil possit, quod posteritatis intersit discere. Ad hanc diligentiam, si modo diligentia nominanda est, profecto non accedit Herodianus, qui tibi neutiquam satisfecerit, Commodi fratres cunctos cunctasque sorores cognoscere cupienti. Duas Septimii Seueri filias ne nominat quidem. Tacet de Iulia Paula, Elagabali, de Sallustia Barbia Orbiana, Alexandri Seueri vxore, de aliis compluribus. Non tamen tegit silentio eas imperatorum vxores, quae vel aliquod momentum in bene aut male administranda rep. facerent, vel quae non possent omitti, quin simul omitteretur aliquid, vnde intelligas, quibus ex caussis res fuerint ortae, quibus consiliis gestae, quibus auxiliis adiutae, quo denique ordine a primis initiis ad finem progressae. Quum enim Herodiani historia habeat τὸ πραγματικόν, hoc est, quum prospere et secus facta cum caussis copulet, non potuit non earum mulierum iniicere mentionem, propter quarum vel virtutes vel vitia res romana nunc labi coepit, nunc surgere. Lucillam itaque Fadillamque, duas Commodi sorores, nominat. Altera enim seditiosis molitionibus fratris saeuitiam exasperauit: altera patefacto Cleandri scelere eundem periculo liberauit. Ne de Marcia quidem, Commodi concubina, loqui supersedet, cuius consiliis clandestinis

nis insidiisque cognitis cognoscere liceat, quid tyranno tandem exitium attulerit. De Iulia, praeterquam quod alia nonnulla, etiam hoc tradit, quod lectorem doceat, quidnam Seuerum ad spem imperii erexerit, quid Caracallae Getaeque consilia de diuidundo imperio disturbarit. In rebus denique Maesae, Soaemidisque et Mammaeae, multus est, quia in vita Elagabali et Alexandri nec pauca, nec parui momenti, occurrunt, quorum caussas non potes ignorare, vt primum muliercularum istarum ortum, ingenium, vitamque et mores cognouisti.

Sunt alia, eaque grauiora, quae nonnulli omissa ab Herodiano inique ferunt. Quo pertinet famosa illa constitutio de ciuitate cum omnibus orbis romani ingenuis communicanda, item constitutio de hereditatium decima, loco vicesimae, pendenda. Pertinent eodem aliqui et iuris scientia et munerum amplitudine celebres viri, Herennius Modestinus, praeceptor Maximini iunioris: Iulius Paulus, Seueri et Caracallae consiliarius, et postea sub Alexandro praefectus praetorio: Ulpianus sub Septimio Seuero scriniorum magister, sub Alexandro praefectus praetorio: praecipue vero Aemilius Papinianus, libellorum magister sub Seuero, post praefectus praetorio, tutorque relictus Caracallae et Getae, sed crudeliter interfectus a Caracalla, quum rogatus, vt in senatu fraternae caedis excusationem susciperet, libere magnoque animo respondisset, non tam facile parricidium excusari posse, quam fieri: nouumque parricidium committi ab eo, qui accusaret innocenter occisum. Tanti viri vt ne mentio quidem fieret, qui factum esse dicemus? Caedes eius publice facta non potuit non vnicuique innotescere. Caedes ista immanitatem tyranni prodit. Atque hanc demonstrare Herodiano propositum erat. An hoc silentium inuidiae et malignitati historici tribuemus, sequuti Balduinum et Euerh. Ottonem in Papiniano p. 611.

Malignitatis in Papinianum non posse accusari Herodianum videmus, quin simul eiusdem in plures alios, quos aeque ac Papinianum omisit, accusetur. Si plane nobis cognitum esset, quonam in genere vitae, quonam munere in publico, versatus Herodianus fuerit, id forsan facilitatis aliquid nobis adferret, simul ad eum excusandum, simul ad caussas harum omissionum detegendas. Nunc earum vt gratiam ei faciamus, ideo inclinat animus, quia eum hoc consilio ad conscribendam historiam accessisse videmus, vt principum romanorum res gestas, non vt vitam fataque doctorum virorum, recenseret: vt res gestas ipsas non singulas religiose et scrupulosa quadam diligentia explanaret, sed vt praecipuarum delectum faceret, hasque ipsas nunc vberius et fusius explicaret, nunc breuiter strictimque attingeret. Crudelitatem, quam in Papiniano Caracalla exercuit, videri queat vtique tetigisse, quando interemtos scribit fuisse, senatorii ordinis quicunque aut nobilitate aut opibus excellerent, et quidem minima quaque de caussa, vel plane nulla, IV, 6. 5. Quum dicit senatorii ordinis viros interemtos, forte non excludendum duxit praefectum praetorio, huiusque similes, etsi me non fugit, praefectis praetorio senatoriam dignitatem ab Alexandro Seuero demum additam fuisse, teste Lampridio in Alexandro C. XXI.

Iam nescio, an etiam his occurrere curem, qui ab Herodiano multa praetermissa aegre ferunt, a Commodo, ab Elagabalo, a Caracalla flagitiose, impure, incesteque facta, cuius generis non pauca apud Suetonium, Historiaeque Augustae scriptores, leguntur. Nam quibus pudor et virtus cordi est, hi sibi magis placere Herodiani dictitabunt verecundum silentium, quam aliorum scriptorum impudentem loquacitatem. Temperant sibi boni historici ab exponendis historiis, quae peccare doceant, satis gnari, magistram vitae esse oportere historiam, non corruptricem. Sunt eadem mente, qua fuisse Demosthenes videtur, qui impudicas Philippi saltationes describere non

susti-

sustinet. Olynth. II. p. 7. Quid Demosthenem dico? Sentiunt idem, quod Apostolus, qui instinctu diuino afflatuque concitatus talia flagitia ne nominanda quidem decernit.

An statuemus, boni historici esse, spurce obsceneque factis non modo cogitando immorari, verum etiam stilo persequi et narrare ea, quae nemini obiici ne ab inimico quidem possint verecundo? Quis igitur non laudandum potius Herodianum, quam vituperandum, ducat, quod talia aut prorsus praetermittit, aut, si praetermittere non potest, breuitatem adhibet, et verba occultandae turpitudini apta: vt, quum fuisse narrat, qui praetereuntem Iulianum maledictis insectarentur, et *turpes* ei *ambiguasque voluptates* exprobrarent. II, 7. Incestum Iuliae cum Caracalla concubitum aut ignorauit, aut non credidit, aut, si credidit, non esse suae verecundiae existimauit, tam nefandum facinus ad memoriam posteritatemque prodere. Non est religioni narrare hoc facinus AElio Lampridio in Antonino Caracalla c. X, non Aurelio Victori de Caesaribus c. XXXI, non Eusebio denique et Eutropio. Quibus aliqui vt fidem derogent, obseruant, ab hisce scriptoribus omnibus male ac perperam Iuliam dici Caracallae nouercam, quum fuerit mater. Quo ipso mihi Caracallae scelus non tam refellere videntur et coarguere, quam augere. Quis nescit, rebus vere factis culpa narrantium subinde admisceri quaedam a vero aliena? Aliis hic placuit argumento vti inficiali, ducto illo a scriptorum eiusdem aetatis silentio, ac praesertim Herodiani. Quo loco non repetam id, quod iam dixi, nempe non id consilii Herodiano fuisse in tradenda sui temporis historia, vt multum in recensendis principum impuris flagitiis versaretur: illud vnum vrgeo, non videri Herodianum incestum istum prorsus omisisse, sed leuiter transiisse tantummodo et perstrinxisse. Quanta dicacitas in Caracallam fuerit Alexandrinorum, nunc ei fraternam caedem, nunc ineptum Achillis Alexandrique imitandi studium, exprobrantium, nunc matrem eius Iocastam

appel-

appellantium, Herodianus IV, 9 narrat. Cur quaeſo Alexandrini Iuliam Iocaſtam appellarunt? Iocaſta, inquis, duo filios in concordiam reducere non potuit Eteoclem et Polynicen. Aeque infelix Iulia in reconciliando Caracalla cum Geta. Concedo, dicacibus et ſcommatum ſtudioſis ſatis eſſe ad comparandam Iuliam cum Iocaſta potuiſſe, quod neutra conglutinare filiorum concordiam potuerit: ſed vnumquemque tamen mihi etiam hoc daturum confido, Alexandrinorum dicterium multo acrius et ad exaſperandum animum ſuapte natura ſaevum multo accommodatius fuisſe, ſi Iulia non modo ob fruſtra tentatam filiorum reconciliationem, verum ob inceſtos etiam amores Iocaſta appellata exiſtimaretur. Hanc Iocaſtam, vt norunt omnes, Oedipus filius duxit vxorem. Si hoc ſenſu Iuliam Iocaſtam dictam ſumis, tum vero intelliges, cur hoc dicterium vſque adeo pupugerit tyrannum, eiuſque iras ſtimulauerit, vt conuocatam in campum vniuerſam Alexandrinorum iuuentutem, exercituque circumdatam, ex improviſo, horribili ſtrage contrucidaret. Nam aſperae facetiae, vbi multum ex vero traxere, acrem ſui memoriam relinquunt, vt ait Tacitus A. XV, 68. Cui Herodianus conſentit ipſe IV, 9. 4.

Interim licet iſta, licet iſtis ſimilia multa, ab Herodiano omiſſa concedamus, neminem tamen fore credimus, qui iure queri poſſit, ab eius hiſtoria eam abeſſe iucunditatem, quae a rerum dicendarum copia, varietate et nouitate, naſci ſolet. Quot quaeſo oppida, quot regiones, quot itinera deſcribit? Quot quamque diuerſas imperiorum ſucceſſiones memorat, quam varios caſus eventuſque bellorum cum ciuilium, tum externorum, quot gentes excitas ſedibus ſuis, quot mala publica tam romanorum, quam barbarorum, quot denique vitas principum et tyrannorum, adeo nouas et inauditas, vt exempla iis ſimilia, aliis temporibus vel nulla, vel certe pauca, reperiantur. Quam prudens eſt in obſeruanda imperii romani forma, huius temporis fere propria, eaque democratiae militari,

tari,

tari, quam monarchiae, similiore: quam accuratus in patefaciendis democratiae huiusce militaris initiis et progressu, item in malis inde natis, et in remediis modo prospere, modo parum prospere, adhibitis? Et quum in gratiam graecorum suorum potissimum romanorum imperatorum historiam scribat, quam apte interdum ab instituto suo digreditur, describendisque romanorum ritibus et moribus, qui exteris poterant esse incogniti, mentem cogitationemque intendit?

Quam autem dicendi artem tot rebus gestis tamque variis adhibuerit, intelligere licebit, si consideres, quanta verborum locutionumque varietate res natura sua saepe simillimas distinxerit. Verba ei facienda sunt semel iterumque de pestilentia, de fame, de vi aestus et vehementia frigoris: multo vero frequentius de seditionibus, de bellis, de vrbibus obsessis, de malis denique purpuratorum, quibus principes regendos se permittunt, artibus. Id quod quoties ei faciendum est, tam vario verborum ornatu identidem orationem suam expolit, tam diversos, eosque suaues, graeci sermonis colores ei illinit, vt, res tot similes tam diuersis modis variari posse, vtique mirere. Siue igitur rerum ipsarum varietate siue verborum delectere, non poterit te non Herodiani lectio perfundere voluptate. Nihil dico de tropis et figuris, commode ab eo vsurpatis, nihil de virtute illa orationis, qua res verbis tanquam coloribus ita depinguntur, vt subiectae lectorum oculis videantur. Mitto sermonis puritatem Atticam, a qua raro recedit: mitto periodorum concinnitatem, verborum ordinem; iuncturam et numerum, sententiarum grauitatem, et reliqua denique omnia, quae hoc habere creduntur, vt historiae aliquid suauitatis concilient. Haec omnia, inquam, mitto. Libet paucula duntaxat acute grauiterque, sine vllo tamen fuco, dicta attingere. Cui non suaue est legere, Aquileienses omni genere machinarum a Maximino oppugnatos tam fortiter restitisse, vt videretur tandem στρατὸς δοκῶν πολιορκεῖν αὐτὸς πολιορκεῖσθαι

VIII, 5, 13, hoc eſt, vt obſidio videretur in obſidentes verſa. Quum I, 4. 20 luctum ex obitu Marci Antonini narrat, omnes ait nuntium de imperatoris morte multis lacrimis excepiſſe, eumque omnes velut vna voce, alios parentem probum, alios bonum imperatorem, quoſdam fortiſſimum ducem, nonnullos etiam continentem moderatumque principem vocitaſſe. Poſt addit, neque ſane quemquam falſum habitum fuiſſe. Dubites iſta legens, an vlli vnquam principum oratio funebris habita fuerit, aut haberi poſſit, cum mortuo honorificentior, tum ad gratam memoriae eius beneuolentiaeque conſeruationem, ſimulque ad imitationem commendandam, aptior. Quam grauis eſt vox Pompeiani I, 6. 14 Ἐκεῖ τε Ῥώμη, ὅπȣ βασιλεύς. Ecce tibi paucula verba, ſed aptiſſima ad magnam illam mutationem indicandam, quam imperium romanum ab eo tempore ſubiit, quum libertas expirare coepit, poteſtaſque populi et ſenatus circumſcribi, totaque res ab vnius voluntate principis pendere. Olim Roma fuerat, vbi romanus populus, vbi Martius campus, vbi equeſter ordo, vbi roſtra, ouilia, ſenatus, curia. Nunc incredibili rerum conuerſione facta haec omnia ibi ſunt, vbi imperator eſt, etſi ſit ad ripas Iſtri, etſi ſit apud barbaras gentes, longo locorum interuallo ab vrbe remotas, quarum nec nomen paullo ante auditum fuerat, nec fama Romam peruenerat. Camilli apud Liv. V, 54 opinio fuerat, virtutem romanorum tranſire alio poſſe, Fortunam certe vrbis Romae tranſferri non poſſe. Haec Fortuna nec tempore Camilli Veios, nec Caeſaris Troiam, aut Alexandriam, traduci videbatur poſſe: nunc in vnum imperatorem traducta putatur. Quam verum ergo eſt, omnino remp. romanam omnemque eius auctoritatem ab Auguſti dominatu intercidiſſe, et in quandam regni formam tranſiiſſe, imperatoreſque romanos tanta poteſtate romanum imperium rexiſſe, quanta reges ſolent, quibus infinita nulliſque limitibus circumſcripta poteſtas eſt, quacunque tandem ratione hanc tantam

pote-

potestatem in se traduxerint, siue libertate labefactata per vim, siue per legem regiam, quam nonnulli comminiscuntur, siue denique per potestates populares senatoriasque subinde sumtas, et per temporum vices repetitas. Vt vis, vt grauitas, vocis a Pompeiano vsurpatae melius sentiatur, age, comparemus eam cum similibus, quae aliorum ex ore exierunt, vocibus, quaeque in magna similitudine dissimilitudinis aliquid habere reperientur. Apud Alciphronem II, 4 Glycera ad Menandrum scribit, *ibi Athenas esse, vbi Menander est.* Habes vocem amicae amicum impense colentis, eiusque eruditionem elegantiamque admirantis! Martial. X, 20 ad Manium:

> Si tibi mens eadem, si nostri mutua cura est,
> In quocunque loco Roma duobus erit.

Habes vocem hominis in concordia et fide sinceri amici sibi placentis, et in ea omnia ponentis! Brutus ad Ciceron. ep. XVI *mihi esse iudicabo Romam*, inquit, *vbicunque liberum esse licebit.* Habes vocem amantis remp. et libertatem! Hoc loco denique Pompeianus ad Commodum Romae desiderio captum, *ibi Roma*, inquit, *vbi imperator.* En tibi vocem vnius dominatui omnia subiicientis! Similiter dicta leguntur apud Cic. Phil. II, 44, apud Vellei. II, 62, apud Lucan. V, 27, denique apud Martial. XII, 21. Videor mihi hoc consecutus, vt facile pateat, vt quisque rectissime iudicat, ita libentissime Photio subscripturum, qui Herodianum scribit *ἐν πάσαις ταῖς κατὰ τὴν ἱστορίαν ἀρεταῖς οὐ πολλῶν εἶναι δεύτερον.*

Tam excellenti historico non contigit interpres latinus, qui more plerorumque eorum, qui graecos scriptores interpretati sunt, verbis inhaereret, nec ab auctoris vestigiis iusto liberius recederet. Quum enim duo sint interpretationum seu versionum genera, quorum in altero qui se exercent, hi ita verbum verbo reddere curant, vt, quantum linguarum diuersitas patitur, pene verborum versuumque ordinem ac nume-

rum obseruent; qui alterum tentant, hi sententiam alio sermone liberius exponunt, et nunc quaedam mutando, nunc quaedam addendo, copiosiusque et dilucidius, quae dicta ab aliis sunt, explicando, euagantur. Iam si consideres, vtri generi sit versio Herodiani annumeranda, quam Angeli Politiani industriae debemus: eam certe non esse primi generis reperias: Sitne generis secundi, pene dubites. Politianus enim etsi se Herodianum in latinum sermonem vertendum suscepisse dicit, seduloque curasse, vt omnia ex fide responderent; tamen fugiendo omnem peregrinitatem, fugiendo graeculas figuras, vocumque morositatem, et quasi anxietatem, vt ipse loquitur, consectandoque latinae dictionis castitatem, perspicuitatem et munditiem, effecit, vt interpretatio eius paraphrasis dici vix queat, nedum metaphrasis possit. Certe Io. Henr. Boeclerus, vir doctissimus, tertium versionum genus maluit seu excogitare, seu confingere et comminisci, idque Politiano singulare et proprium dicere, quam Herodiani interpretationem latinam inter translationes vel primi vel secundi generis referre. Nec difficile dictu est, cur Boeclerus ita senserit. Vidit nempe, vnam Politiano curam fuisse, si latina elegantia posset etiam in versione cum graeca Herodiani venustate certare, atque, vt hic succederet conatus, multa vtique mutasse, nunc graecismos in latinismos conuertendo, nunc verba pro substantiuis, substantiua pro verbis, nunc alias orationis partes pro aliis ponendo, nunc prius dicta posteriore, posterius dicta priore, loco collocando, nunc denique vnam periodum in plures dissoluendo, plures vice versa in vnam conflando. Sed quum has mutationes, hisque similes, facere per paraphraseos leges interpreti liceat, praesertim ei, qui elegantiae sermonis illius, in quem aliquid transfert, velit consulere, modo sensum argumentumque auctoris, quem transferendum suscipit, exprimat; per nos licebit etiam latinam Herodiani interpretationem, quam Politiani ingenium peperit, paraphraseos numero ac loco habe-

habere. Politianus scilicet voluit in vtroque interpretandi genere, quid posset, experiri. Itaque in Epicteti Enchiridio, in duobus Idylliis Moschi, in hymno Callimachi, qui inscribitur lauacrum Palladis, addo in Theophrasti characteribus ethicis illud vertendi genus tentauit, quod ad verbum omnia exprimit: in Herodiano autem interpretando a graeco fere longius recedit, elegantiae et latinitatis potissimum studiosus.

Iam vtra vertendi ratio maxime sit probanda, facile intelliget, qui considerabit, triplicem esse eorum, qui ad legendos graecos accedunt, differentiam: alios esse graece doctissimos, hisque nulla versione opus esse: alios graecarum literarum quidem expertes esse, sed magis de rebus graeco sermone traditis, quam de sermone ipso, laborare, hosque vtracunque versione posse esse contentos: alios denique eo spectare, vt, quae sit singulorum verborum singularumque partium orationis vis et potestas, quae sermonis graeci indoles, cognoscant, hisque eas demum versiones maxime prodesse, in quibus, vt docet Petr. Nannius ad Hor. A. P. 133, et *indoles* sit, et *fides*, et *religio: indoles*, hoc est, tropi, figurae, adfectus moresque expressi: *fides*, quae reddat sententiae sententiam, nihilque nec addat, nec demat: denique *religio*, quae circa verba verbis reddenda versetur. Quam religionem quum ab interprete requiro, nolim quisquam existimet, mihi probari *seruile illud, et interlineari simile, interpretandi genus, quod facilius ad pueros corrumpendos, quam ad subleuandos iuuandosque, pertinere* iudicat, decus illud Germaniae, I. M. Gesnervs in Epistola ad Io. Fred. Reitzivm Luciani operibus praemissa. Est enim linguarum tanta dissimilitudo, vt in qualibet nonnulla occurrant, quae ad verbum vix liceat exprimere, nisi obscuram, inuenustam, putidamque reddere orationem velis. Qui ita ad verbum graecos auctores interpretes latini exprimunt, vt hoc vitium caveant, eos doctissimorum virorum

iudicio maxime video probari. Probat hoc interpretandi genus is, quem modo laudaui, Geſnerus l. c.: probat P. Burmannus ſecundus, qui, praeterquam quod nomen magni illius P. Burmanni habet, etiam ingenium illius virtutemque nobis reddit, in praefatione lectu digniſſima ad Ariſtophanis Comoedias: probat denique Steph. Berglerus in praefatione ad Homeri Iliad. pag. 11. ſq., qui etſi illud genus, vti vſu facilius, ita factu operoſius, facto periculo, deprehendit, vt ipſemet fatetur; tamen et in Alciphronis epiſtolis vertendis, et in Comoediis Ariſtophanis, in emendandis verſionibus Homeri, et in aliis feliciter tentauit. Tentauit vero idem in Herodiano interpretando, cuius nouam verſionem, veſtigiis auctoris preſſo pede propius inſiſtentem, magiſque ſtudioſae iuventuti, quam maturioribus ingeniis, accommodatam ſe ſuſcepiſſe et abſoluiſſe, dum Lipſiae ageret, ſcribit Berglerus in epiſtola ad Fabricium edita a Reimaro poſt vitam Fabricii pag. 222. ſq. Quorundam doctorum virorum fauor quo magis reſpondet ingenio Bergleri et meritis, tanto eorum maior eſt dolor, verſionem iſtam prelum non ſubiiſſe. Frid. Otto Menkenius, in vita Politiani p. 158, eam diu latitaſſe in b. parentis ſui bibliotheca ſcribit, ſeque neſcire, an in dignas ſatis tanto munere manus peruenerit, optandumque eſſe commodi publici cauſſa, vt cum noua, ſi quis eam meditetur, Herodiani editione lucem aliquando videat publicam. Quae eadem repetit in praefatione ad Ariſtophanem P. Burmannus ſecundus. Tantam ſui fecit expectationem illa interpretatio Bergleriana! Hic nihil attinet dicere, me aut illam ipſam verſionem Bergleri, quae fuerat in bibliotheca Menkeniana, aut certe exemplum illius et ἀντίγραφον ante annos fere triginta vidiſſe in quadam viri docti Lipſienſis bibliotheca, aliquanto poſt apud Dreſigium V. C., qui Herodianum ſe aliquando edendum ſuſcepturum mihi affirmabat. Illud ſilere non debeo, mihi tandem tam felici eſſe licuiſſe, vt copia huius verſionis daretur.

tur. Communicauit eam mecum ex Bibliotheca Amplissimi ſenatus Lipſienſis Vir Illuſtris, Io. Iac. Mascovivs, quem ſemper aliquid agere, ſemper aliquid meditari, quod publice proſit, quod rem literariam iuuet, qua adhortando, qua conſilium impertiendo, qua denique conatus aliorum re atque opera iuuando, neque ab hoc bene de literis merendi ſtudio vel negotiorum multitudine, vel valetudinis infirmitate, auocari, teſtes ſunt ii omnes, quibus adire eum, perfruique eius ſermone, pleno comitatis et doctrinae, contingit.

In quas manus iſta verſio ex bibliotheca Menkenii peruenerit, non ſatis ſcio: ſed vt nunc in tanto munere indignas perueniſſe videatur, non committam. Si indignae manus ſunt eius, qui eam abſcondit, nec publicam rem facit, mihi propoſitum eſt, eam orbi literato diutius non inuidere: ſin vero eius, qui pretium quantum ei ſtatuendum ſit, non intelligit, ego cauebo ne, quae Berglerianae interpretationis dotes ſint, ignorare videar.

Mihi eam examinanti tria potiſſimum oblata ſunt, quae commendabilem eam faciant. Prima commendatio proficiſcitur ab ea interpretandi religione, quae verbum verbo reddere, quantum ſermonis indoles patitur, curat. Qua religione Berglerus effecit, vt ex hac interpretatione graecae conſtructionis ratio, et ſingularum vocum vis multo facilius et melius etiam a tirone cognoſci poſſit, quam ex illa Politiani. Altera commendatio ei accedit a fide, quae ſententiam ſententiae reddit, nec tribuit verbis alienas a loco ſignificationes, nec ommittit quicquam, nec addit. Supereſt tertia commendatio, quam habitura eſt haec interpretatio a conatu ſtudioque emendandi textum graecum et quidem iis in locis, quorum corruptio eſt indubitata. Berglerus quidem lectorem interpretationis ſuae vix quater aut quinquies admonet, ſe aliquid in textu graeco mutaſſe, aut mutandum putaſſe; ex ipſa tamen

men interpretatione non aegre colligas, eum quam saepissime mendas de textu exemisse, et quam plurimis locis manum medicam ante admouisse, quam ad ea interpretanda accederet. Nunc per singula eundo, exemplis in medium allatis, fidem his laudibus faciamus, quas in Berglerianam interpretationem contulimus.

Diximus Bergleri versionem hoc habere, vt, quae sit graecae constructionis ratio, et singularum vocum potestas, planius declaret. Ex innumeris exemplis, quae huic rei documento sint, pauca deligamus.

1. Libro I. c. II. §. 9 Πρός τε τοὺς τὰ ἀρκτῷα τῆς γῆς, ἔθνη βάρβαρα, κατοικοῦντας etc. Politianus vertit: *aduersus barbaras nationes septentrioni subiectas.* Recte sine dubio. Berglerus vero: *aduersus eos, qui septentrionales terrae partes incolunt, barbaros.* Aeque recte, sed ad rationem constructionis peruidendam accommodatius. Patet ex hac interpretatione, τοὺς τὰ ἀρκτῷα τῆς γῆς sc. μέρη κατοικοῦντας vocari per ἐπεξήγησιν, ἔθνη βάρβαρα. Tanaquil Faber si ita considerasset hunc locum, temperasset sibi haud dubie, quin emendaret, legeretque: ἀρκτῷα ἤθη βαρβάρους, vt ἤθη sint *sedes* et *patrii lares.* Mutat quidem Faber paullo post mentem, negatque vocem ἔθνη mutandam, quia graece dicatur populus aliquis habitare gentem. Sed vereor, vt vel hac explicatione sibi quisquam satisfactum putet. Nam apud Herodianum non dicuntur barbarae gentes habitari: dicuntur septentrionales terrae partes habitari, iique, a quibus habitentur, esse barbari. Nec locus Arriani ex initio l. IV. Αναβ. quicquam viro docto prodest, si recte capiatur. Sed id quidem nunc non agimus.

2. Ὑπηρετούσης ἐξουσίας I, 4. 13. Politian. *in maxima licentia:* Bergler. *subseruiente licentia.* Quid sit ὑπηρετεῖν, Politianus non docet: docet Berglerus. Licentia dicitur eleganter subseruire seu obsecundare cupiditatibus, id est, hoc praestare, vt explere cupiditates possis.

3. Παρηγγέλθη τε δὴ πᾶσιν ἐλθεῖν εἰς τὸ εἰωθὸς πεδίον αὐτοὺς ὑποδέχεσθαι I, 5. 3. Politian. *Edictum itaque omnibus, vt in campum de more adessent frequentes.* Berglerus: *denuntiatumque est, vt adessent in campum ipsos excipere solitum.* Etiam hunc locum emendandum Faber censuit,

censuit, et pro αὐτῆς legendum αὐτὴν, quasi intelligeretur ἐπίδοσις. Fabri hanc emendationem probat editor Oxoniensis. Mihi plane improbatur. Versio Bergleri, cur sit improbanda, clare ostendit.

4. Κοινὴν εἶναί μοι πρὸς ὑμᾶς τὴν ἐπὶ τοῖς καταλαβȣ̃σιν ἀλγηδόνα etc. I, 5, 5. *Communem esse mihi vobiscum huius moerorem calamitatis* etc.. Bergler. *Communem esse mihi vobiscum super praesentibus malis dolorem.* Fac tironem aestuare, non intelligentem, quid sibi velint verba ἐπὶ τοῖς καταλαβȣ̃σιν: aestum hunc non explicabit versio Politiani. Καταλαμβάνειν hic est ἔρχεσθαι vel παραγίνεσθαι. Sic Herodian. I, 12, 16. I, 15, 5. Ergo ἡ ἐπὶ τοῖς καταλαβȣ̃σιν ἀλγηδὼν est moeror ex eo, quod accidit, moeror ex praesentibus malis, vt recte Berglerus.

5. Ὡς ἐπὶ πολὺ κειμένων τῶν πτωμάτων, δι' αὐτὸ τȣ̃το, ἐπὶ σχολῆς πάντας ἀριθμῆσαι, καὶ μηδὲν ἰδεῖν περιττὸν ἀκόντιον I, 15, 13. Politian. *ita suo ordine iacentibus corporibus, vt numerari facillime singula possent, nullo scilicet superuacuo incidente telo.* Bergler. *ita vt, diu iacentibus cadaueribus eo fine, per otium omnes ea numerarent, nec vllum viderent superfluum iaculum.* Ex qua interpretatione licet intelligere, quid sit ἐπὶ πολὺ, quid δι' αὐτὸ τȣ̃το, quid ἐπὶ σχολῆς.

6. Νέȣ μὲν γὰρ ἔτȣς τῆς ἐπιȣ́σης ἔμελλεν ἡμέρας. I, 16, 2. Politian. *Id futurum erat anno ineunte.* Bergler. *Noui autem anni secunda die erat desiturus.* Hinc facile intelligas, quid sit τῆς ἐπιȣ́σης ἡμέρας.

7. Ἀρχαί τε ἐπώνυμοι I, 16, 7. Politian. *Summi magistratus.* Stephanus mauult *eponymi magistratus*, addita explicatione: sunt autem eponymi magistratus consules. Sed vtroque melius Berglerus: *magistratus, quorum nominibus annus signatus.* Sunt enim eponymi magistratus generatim ii, a quibus anni numerantur, et in fastis notantur, hoc est, apud Athenienses princeps archon, apud Romanos consules ordinarii. v. Wesseling. Obs. II, 25. p. 255.

8. Τοιαύτης εὐμοιρίας καὶ εὐταξίας κατεχȣ́σης τὸν βίον II, 5, 1. *Quum in hac morum vitaeque modestia ageret.* Ita Politianus. Sed Berglerus: *Tali autem felicitate temporis ac decore tenente vitam humanam,* id est, quum genus humanum, quum homines tunc viuentes hac felicitate, hac morum probitate, vterentur. Politianus dubium te relinquit, quorsum τὸ βίον sit referendum, vtrum ad Pertinacem,

an

an ad homines Pertinacis aetate viuentes. Elegantiam graecae locutionis explicat Casaubonus ad Athenaeum XV, 5. Latini eodem sensu ponunt vitam humanam. v. Hemsterhus. ad Lucian. Dial. pag. 70. sq..

Propter haec, et his similia longe plurima, non ausim Politianum accusare, quasi Herodianum non intellexerit. Liberiorem tantum interpretem egisse in his interpretandis dixerim, et a verbis paullo longius discessisse. Nunc veniamus ad ea, quae recte interpretatur Berglerus: secus, vt videtur, Politianus: cuius generis iam multa notauit in Politiano H. STEPHANVS, vt notum est, aduersarium propterea nactus Boeclerum, aliosque, qui Politiani patrocinium susciperent. Ea cuncta iam non repetam. Quaedam siue obseruata a Stephano, siue non obseruata, proponam, in quibus interpretandis vtrum Politianus an Berglerus fuerit felicior, graece docti lectoris iudicio relinquam. Ostendam tripliciter Politianum videri peccasse, nunc alienas a loco significationes graecis vocabulis tribuendo, nunc aliquid omittendo, nunc denique aliquid de suo addendo. Vt ab vltimo incipiam, consideremus locum ex IV, 4, 7. Γέτας μὲν δὴ τρωθεὶς καιρίως προσχέας τὸ αἷμα τοῖς τῆς μητρὸς στήθεσι, μετήλλαξε τὸν βίον. Polit. *Quare irrupto fratris cubiculo nihil eum tale expectantem supra matris pectus multo vndantem sanguine saeuus obtruncat.* In quo loco interpretando aliquid de suo addidisse Politianum nemo negabit, et quidem ea verba *irrupto fratris cubiculo.* Nihil hic de latinitate vocabuli *irruptus* dico: illud vnum moneo, condonandum hoc additamentum videri Politiano posse, si caedes illa, quam historicus describit, in fratris cubiculo facta esset. Nunc quum Dio 77, pag. 1289, reclamet, qui diserte Getam in matris cubiculo necatum prodit, quis erit tam facilis, vt hoc contra fidem historiae additum Politiano remittendum putet. v. Fabric. ad locum Dionis. Rectius itaque Berglerus: *Ac Geta quidem vulneratus letaliter, effuso sanguine ad matris pectus decessit*

decessit e vita. Sed in hac culpa raro esse Politianus videtur, frequentius in illa, qua aliquid omittitur.

1. Ἀφειδῶς a Politiano I, 8, 17 non vertitur, a Berglero autem *citra delectum.* Proprie: ita vt nemini parceret.
2. Γυμνωθὲν ὤφθη τὸ τῆς Παλλάδος ἄγαλμα I, 14, 7. Berglerus: *detectum apparuit Palladium.* Illud γυμνωθὲν non expressit Politianus.
3. Οὐκ ἀναμείνας ὁ Ἀρτάβανος ὑπήντετο αὐτῷ IV, 11, 4. Politianus verba οὐκ ἀναμείνας non vertit. Berglerus: *Haud se continens Artabanus occurrit ei.* vel; nec mora; Artabanus obuiam ei processit.
4. Ἵνα δὴ μὴ πάντα τὸν στρατὸν σκύλῃ IV, 13, 8. Quae verba Berglerus recte vertit: *ne scilicet totum exercitum vexaret.* Politianus plane non vertit, cui vis verbi videtur incognita fuisse. Nam aut plane non vertit, vt h. l., aut male vertit, vt VII, 3, 10, vbi illud cum verbo σκυλᾶν vel συλᾶν videtur confundere, vt Stephanus in praefatione ad Herodianum monet. Non tamen silentio praetermiserim, ipsum Salmasium de M. V. c. 17. p. 788 verbo σκύλλειν notionem verbi σκυλᾶν, hoc est, raptandi spoliandique tribuere.
5. Εἰ γὰρ ἐκ τοῦ κρείττονος ὑπέρτεροι ἐδόκουν γεγεννῆσθαι οἱ βάρβαροι VI, 6, 11. Politianus: *Nam quamuis bello superiores fuisse barbari viderentur.* Illud ἐκ τοῦ κρείττονος aut vertere neglexit, aut ad comparatiui vim augendam pertinere putauit: quomodo Scheidius accepit, vertendo *potiore ex parte*, vel *longe.* Rectius Berglerus: *quamvis enim diuinitus superiores viderentur fuisse barbari.* Τὸ κρεῖττον est Numen, Fortuna et eius vis. Κρείττονες sunt Dii. v. Aelian. V. H. III, 1. Adde Brodaeum Miscell. V, 30. Doruille ad Chariton. pag. 265.

Ac de his satis: sequitur, vt etiam exempla adferam, quae documento sint, sensum verborum saepenumero rectius a Berglero, quam a Politiano, esse expressum.

1. Φέρων τέ με πολλάκις νήπιον ὄντα ταῖς ὑμετέραις ἐνεχείρισε πίστεσι I, 5, 9. Politianus: *quin infantem me saepe in vlnis gestans vobis dabat in manus, quasique vestrae commendabat fidei.* Ecce tibi νήπιον, qui se meminerit, a patre aliorum fidei commendatum, immo qui se

se meminerit a patre in vlnis gestatum? Numquid igitur in posterum ridebimus, si quis narret aliquem, qui se in gremio matris sedentem mammam illius appetisse meminerit? Sed vt concedamus, interdum pueros iam grandiusculos, ac fere *βούπαιδας* a patribus in vlnis gestari, *τὸ φέρειν* hic non videtur idem esse, quod *in vlnis gestare.* Cautior hic Berglerus, qui vertit: *tradensque me saepe infantem adhuc vestrae commendauit fidei.* Quid si dicerem, participium hoc *φέρων* adnecti etiam hic, vt saepe alias, ornatus magis quam significationis caussa, verbo, quod commendandi potestatem habet, eique promtae voluntatis, adde etiam consuetudinis, vim addere, vt docent Hemsterhuf. ad Lucian. I, 349, et Doruille ad Chariton. p. 520?

2. *Τὴν προϋπάρχουσαν φήμην* I, 14, 12. Politianus vertit: *famam rerum.* Rectius Berglerus: *praecedens omen.* *Φήμη* hic non est fama, sed omen et praesagium. Dicitur quidem plerumque *φήμη* de omine ex verbis, sed et de omine ex rebus.

3. *Περὶ τῆς συνεδρίας χαλεπῶς ἀπωδύρετο* I, 8, 10. Politianus: *grauissime de accepta iniuria conquesta.* Nimis generaliter. Berglerus: *de statione grauiter conquesta.* Quo loco monet, *illud συνεδρίας frustra solicitari a Stephano: ceteros non recte intelligere.* Scilicet Berglerus hoc vocabulum capere videtur de stationibus, quae in vrbe fere vnicuique generi hominum certae et solennes erant, quaeque loca publica erant, in quae, quibus vacabat, conuenire solebant vel confabulandi vel desidendi caussa temporisque fallendi. De quibus Brisson. Select. Antiq. II, 2 et Torrent. ad Sueton. Ner. 37. De qua tamen explicatione mihi pronuntiandum videtur: amplius.

4. *Ποιεῖται τὴν ἔξοδον* I, 9, 22. Politianus: *ad reditum se comparat.* Berglerus: *profectionem instituit.* Recte. Vt *ποιεῖσθαι λόγους* est *loqui*, *ποιεῖσθαι ἁρπαγὴν rapere*, *ποιεῖσθαι ὁδοιπορίαν iter facere*, quae locutiones omnes apud Herodianum sunt obuiae; ita *ποιεῖσθαι ἔξοδον* est *exire* sc. prouincia.

5. *Ἡμεῖς δὲ τὸ σὸν γένος ὅσον οὐδέπω ἀπολλύμεθα* I, 13, 3. Politianus: *nos autem sanguis tuus propemodum occidimus.* Berglerus melius: *nos autem sanguis tuus iam iam peribimus.* Sic vertendum docet Bergler. ad Alciphr. III, 30, I, 10, et Doruillius ad Chariton. p. 658.

6. *Τὰ δὲ χρήματα μὴ μελλήσειν, ἀλλ' οἴκοθεν ἤδη μεταπέμψεσθαι* II, 6, 16. Politianus: *neque in dando moram futuram: nam domi eam pecuniam asseruari.* Bergler. *nec moram in pecunia futuram: sed domo*

mo eam afferri curaturum. An hic lapsum Politianum dicam, non satis scio: at lapsus est sine dubio in interpretando verbo μεταπέμπεσθαι c. VII §. 10 τούς τε τῶν στρατιωτῶν ἐξέχοντας οἴκαδε μεταπεμπόμενος, vbi Polit: *milites, qui plurimum haberent auctoritatis, diversos alium alio tempore domum dimittebat.* Nam μεταπέμπεσθαι *non est domum dimittere*, sed *domum arcessere.* Recte Berglerus: *ex militibus eminentiores domum arcessens.*

7. Αὐτῷ δὲ ἄλλως ἑστῶτι II, 9, 7. *proximeque adstanti:* vertit Politianus, quasi ἄλλως esset *proxime*. Berglerus: *sibi autem sic forte adstanti.*

8. De Elagabalo, quum duxisset Vestalem, V, 6, 3 ait Herodianus: Ἐπιστείλας τῇ συγκλήτῳ καὶ παραμυθησάμενος ἀσέβημά τε καὶ ἁμάρτημα τηλικοῦτον φήσας, ἀνθρώπινόν τι πεπονθέναι πάθος· ἔρωτι γὰρ τῆς κόρης ἑαλωκέναι. Politianus: *ita moestum tanto flagitio ac piaculo senatum per epistolam consolatus, humanum esse id peccatum: captum se illius esse amore.* Berglerus: *ac per epistolam significans senatui excusauit hanc impietatem, et delictum tam magnum dictitans; humanum quiddam se esse passum: amore enim puellae captum.* Παραμυθεῖσθαι ἀσέβημα non est *consolari aliquem moestum aliquo flagitio*, vt putauit Politianus, sed *excusare impietatem*, vt Berglerus, hoc est, *verbis eleuare impietatem, delictique magnitudinem lenitate orationis mollire.* Sacrilegus nempe imperator hic fecit, quod Aristoph. Plut. 159 vocat ὀνόμασι περιπέττειν τὴν μοχθηρίαν, de quo more improborum Gronouius de P. V. III, 14. pag. 230. Ita παραμυθήσασθαι ponitur Aristoph. Vesp. 115. Hinc παραμυθία est figura orationis, molliens, quod asperius dici potest, de qua rhetores. Sic explicat παραμυθήσασθαι χρησμὸν apud Xenoph. Ephes. pag. 9 vir doctus in Obs. Miscell. Vol. III. p. 413.

9. Ἐπιστὰς δὲ αὐτῷ τὰς ἐσθῆτας τῶν μηρῶν καθέλκοντι ἀπεστραμμένῳ, παίει ξιφιδίῳ IV, 13, 11. Politianus: *accurrit illico, auersumque et subligacula sibi deducentem pugione traiicit.* Berglerus: *Superueniensque ipsi vestes a femoribus detrahenti, auersum ferit gladio.* Lege Casaubonum ad Sueton. Aug. 87 et intelliges, vtra interpretatio sit praeferenda.

10. Καὶ οὓς μὲν εἰς τὴν Ῥώμην ἀπέπεμψε, τινὰς δὲ ἐπὶ προφάσει διοικήσεως ἀπεσείσατο VII, 1, 7. Politianus: *partim Romam dimisit, partim administrationem rerum caussatus, officio priuauit.* Berglerus: *partim Romam ablegauit, partim sub praetextu rerum*

rum administrandarum a se dimouit. Rectius. Nam ἀπεσείσατο est *a se dimouit,* quomodo vertendum etiam est IV, 5, 13, vbi Politianus vertere supersedit.

11. Εἰς ὕπνον τε καθελκόμενος ὑπὸ καμάτων πάσχειν οἰηθεὶς, ἀνεπαύσατο I, 17, 20. Politianus: *atque in somnum prolapsus, quum id ex labore accidisse opinaretur, quieti se tradidit.* Haec interpretatio Commodum et dormientem facit, et non dormientem. Dicit enim Commodum in somnum prolapsum fecisse id, quod est vigilantis, hoc est, iudicasse et opinatum esse. Melius Berglerus: *Somnoque grauatus ex lassitudine id sibi accidere ratus, requieuit,* id est, quum vrgeretur somno, ex lassitudine etc.

Venio ad ea, quae Berglero simul rectae interpretationis, simul emendationis, laudem adferant. Is quidem quater, aut quinquies ad summum, admonuit lectorem, suam esse nunc hic, nunc illic, notabilem in graecis emendationem: quomodo tamen, quae corrupta in graecis sunt, emendanda putaret, nunquam admonuit. Interim eius versio sic comparata est, vt facile ex ea coniicias, quomodo locus aliquis ex sententia Bergleri sit emendandus.

1. Τὴν δὲ τοῦ ἔτους ἀρχὴν ἱερομηνίαν ἄγουσι τῷ τῆς Ἰταλίας ἔθει I, 16, 5. Politian. *Dein vero initium anni more suo concelebrant.* Haec explicatio satis declarat, Politianum legisse ἔθει. At quum apud Herodianum statim sequatur: διπρόσωπον δὲ αὐτοῦ ἵδρυται τὸ ἄγαλμα; quomodo quaeso te expedies, vbi quaesitum a te fuerit, quorsum referendum sit illud αὐτοῦ; Expedire te nullo negotio poteris, vbi pro ἔθει legas Θεῷ. Ita legit Berglerus. Vertit enim: *anni autem initium sacrum agitant Italiae Deo.* Et hanc emendationem ego quidem verissimam putem.

2. Πείθειν τε ἐπεχείρει, μὴ ἐνθουσιασμένως, καὶ τότε ἐν σώφρονι καὶ σεμνῷ σχήματι etc. II, 5, 8. Politianus magis, quae scribere potuisset auctor, quam quae reuera scripsit, in interpretatione exprimit: *a foedissimo illo tumultu absterret, non attonitus periculo, sed habitum oris grauem moderatumque retinens.* Berglerus ita: *et persuadere inceptabat, ne furerent, manens tunc etiam in modesto et honesto statu.* Quid multa? Apparet, Berglerum ita putasse hunc locum emendandum: μὴ ἐνθουσιάσαι, μένων καὶ τότε etc.

3. Τὰ

3. Τὰ μὲν ἂν πολλὰ εἰς τὸ ῥηθὲν αὐτὸς συγγράψας ἐν τῷ καθ' αὑτὸν βίῳ II, 9, 5. Politian. *Quorum pleraque ipse in libris de vita sua conscripsit.* Politianus illa verba εἰς τὸ ῥηθὲν non exprimit. Et quis exprimat tam vitiata? Berglerus ita: *pleraque quidem per historiam tradita ipse conscripsit in sua vita.* Legit ergo ἱςορηθέντα pro εἰς τὸ ῥηθέν.

4. Εἰ δὲ τήν τε Ἰλλυρικὴν δύναμιν ἅμα χειροτονήσασαν μάθοιεν, τότε ἡμέτερον ὄνομα πύθοιεν II, 10, 16. Polit. *Quodsi ab Illyrico exercitu ducem creatum cognouerint, simulque nostrum nomen inaudierint.* Bergler. *Sed si Illyricam manum nos elegisse cognouerint, nostrumque nomen audierint.* Legit Politianus ἡγεμόνα: Berglerus ἡμᾶς pro ἅμα.

5. Τούς τε ἐλέφαντας πάντας, ὓς εἰς πομπὴν ὑπηρετῶν ἐπὶ νώτων φέρειν ἐπειρᾶτο παιδεύειν II, 11, 18. Polit. *Si quidem elephantos quoque, quos ad pompam institutos habebat, insuefacere conabatur sessorem pati.* Habes sententiam, cui graeca non respondent. Sed ea corrupta sunt. Emendat Berglerus: τούς τε ἐλέφαντας πάντας, τοὺς εἰς πομπὴν, πύργους ἐπὶ νώτων φέρειν ἐπειρᾶτο παιδεύειν. Vertit enim: *elephantosque omnes pompae inseruientes turres in dorso ferre conabatur docere.* Placet sibi in hac emendatione. Addit enim: *insignis hic mea in graecis emendatio.*

6. Πᾶν ὤφθη III, 10, 11. Berglerus vertit: *et patefacta est munitio.* Legit ergo: καὶ ἀνεῴχθη scil. τὸ ἔρυμα. Monet etiam hic: necessaria et notabilis hic mea emendatio in graecis.

7. Ἅπασι γὰρ ἤθελε τοὺς παῖδας τῆς ἐν Ῥώμῃ διαίτης χρηςῆς ἀπολαύειν III, 13. 3. Politianus illud ἅπασι pro παντάπασι accipit. Berglerus autem legit: ἁπάσης. Vertit: *omnem enim volebat liberos in vrbe vitae honestatem gustare.*

Atque haec sunt exempla emendationum, quae Bergleri ingenio videntur deberi. Ab eodem quam plurima alia Herodiani ita transferuntur, vt appareat, eum modo probare et sequi emendationes Stephani, Sylburgii, Fabri, aliorum; modo non probare, nec sequi. Vt hoc vtar, locum II, 11, 16 καὶ τοῦτο μετὰ τῆς ἄλλης εὐδαιμονίας παρασχούσης τῆς φύσεως Ἰταλιώταις, ἔρυμα ἄῤῥηκτόν τε καὶ αὐτῶν προβεβλῆσθαι ἀπὸ τῆς ἀρκτῴας θαλάσσης ἐπὶ τὴν μεσημβρίαν βλέπουσαν διῆκον, ita vertit Berglerus: *id etiam cum cetera felicitate indulgente natura Italis, vt munimentum inexpugnabile ipsis*

ipsis obiectum sit a septentrionali mari ad id, quod meridiem spectat. Ex qua interpretatione quid aliud patet, nisi a Berglero probari Kuhnii coniecturam ad Aelian. V. H. IX, 16, qui verborum ordinem male turbatum ita restituendum putat: αὐτῶν προβεβλῆσθαι ἄρρηκτόν τε καὶ ἀπὸ. κ. τ. λ..

Hactenus de dotibus versionis Berglerianae. Satis scio, si quis, quale pretium sit rei statuendum, videt, eum et bona, quae rei insint, nosse, et mala. Itaque animus erat quaedam de ista versione addere, quae a reprehensione negligentiae minime abfutura esse cogitando praesentio. Vt alias maculas praeteream, quas parum cauisse Bergleriana cura et diligentia videatur, haec versio multo plura, quae sunt in graeco, omittit, quam vt ei vltimam limam addidisse auctor videri queat. Sed et de ea re alio tempore erit dicendi locus, et modus ponendus praefationi est. Indicandum nunc est, quamobrem praefari ista placuerit. Constituerunt oratiunculas quasdam publice recitare quinque nostrae disciplinae alumni, quorum quatuor posteriores ex schola hac discedent, et demonstrare, *non esse, quod mortalium quisquam optet vnum perpetuumque rerum secundarum tenorem.* Nomina eorum sunt

Andreas Christophorus Rudingerus, Lipsiensis
Io. Christianus Heuckenrott, Martisburgensis
Frider. Gottlieb Lehmannus, Dippoldiwalda Misn
Ferdinandus Frider. Graefenhainius, Beichlinga Thuring
Christophorus Voigtlaenderus, Marbachia Misn

Quos pro virium modulo dicturos vt frequentes et propitii audire scholae huius antistites, patroni, fautores et amici velint, et meo nomine, et eorum, qui declamaturi sunt, vehementer etiam atque etiam rogo. Qui precibus nostris hoc, quod rogamus, dandum putabunt, nae illi et nos magno beneficio adficient, et discipulis fauore suo nutuque ad maiora capessenda stimulos admouebunt. Scr. Lipsiae pridie Non.
April. A. CIƆIƆCCLXI



